



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum
Qvae Historiam Complectitur vniuersæ Paßionis Dominicæ

Puente, Luis de la

Coloniae, 1614

Med. 57. De custodibus sepulchro adhibitis; & corporis eius incorruptione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54653)

PRIMVM est, in quiete & cum mora, nō ex curiositate, sed ex caritate contēplari quidquid ad Christum crucifixum, mortuum, & pro me sepultum pertinet; & modum, quo idem ingreditur ad vna animarum sepulcra, quæ illum in sacramenta recipiunt; & quid in illis postea ipse operetur.

ALTERVM est, vt nō sim contentus sola meditatione & contemplatione, sed pergam postea colligere species aromaticas, exercitia videlicet virtutum odorifera ad gloriam ipsius Dei, ad vtilitatem proximorum, & ædificationem Ecclesiæ, quæ est eius corpus mysticum, quod his operibus vngitur.

MEDITATIO LVII.

DE CVSTODIBVS AD
Sepulchrum Christi adhibitis
& de eius corporis in-
corruptione.

PVNCTVM I.



ALTERA autem die, quæ est a Matt. 22.
post Parasceuen, conuenerunt 62.
Principes sacerdotum, & Phari-
risæi ad Pilatū, dicentes: Domine
recordati sumus, quia seductor
ille dixit adhuc viuens: Post tres dies resurgam.
Iube ergo custodiri sepulchrum vsque in diem

terti-

tertium: ne forte veniant discipuli eius, & fuerentur eum, vt dicant plebi: surrexit à mortuis & erit nouissimus error prior priore.

b Pj. 73. 23. IN hoc facto manifestatur feritas inimicorum Christi, & quā meritò dixerit Dauid, b *superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Nam, etsi dies ille sabbati adeo esset sollemnis, summo tamen mane venierunt, vt obliuiscitā suam persecutionem perficerent.

I. PRIMVM enim, superbi isti, dedignati sūt Christum Dōminum proprio nomine appellare, sed vt blasphemi compellarunt illum proprio dāmonis nomine, quod est *seductor*; cum re ipsa potius esset liberator ab omni seductione mundi, & omnium fraudum rector: vt hinc me ipsum soler, cum similibus iniurijs epithetis excipiar.

II: DEINDE, osores isti Christi, facti etiam sunt temerarij & suspiciosi, timentes vbi nō erat timendum, suspicantes discipulos furaturos corpus sui magistri, & promulgaturos, quod surrexisset, & plebem id credituram: quod tamen totum nec vllum habebat fundamentum, nec connexionem; sed odium ipsos excæcabat, & inuidia turbabat iudicium, & qui ipsum Christum seductorem vocabant, non aduertebant, quam ipsi essent seducti, nam dæmon, qui est verè seductor, & spiritus superbiæ ipsos seduxerat.

III: PRAETEREÀ, qui suam felicitatē in tollendo Christo è medio ponebant, non sunt

hoc

hoc satiati, sed turbati, & feruentis maris instar ipsi inquieti, obscurare conantur gloriam Resurrectionis eius. Sed nihil illis hæc nequitia profuit: quia diuina prouidentia conuertit illorum inuentiones contra ipsos, accepta ex eis occasione, vt Christi Resurrectio manifestior fieret, & facilius reciperetur ac crederetur. O dulcissime IESV, qui persecutionem in vita & in morte à tuis inimicis es perpeffus, ne patiaris in talem me cœcitatē peruenire, vt seductionem reputem ipsam frudis refectionem; & consilia iustorum, qui tua sequuntur, reputem imposturam. Si seducendus sum, fac vt per te ipsum decipiar deceptione sancta, *c Osee 2. 14.*
Vide Riberam hic.
 c *lactando*, vt soles, carnem & eam eò *ducendo*, vt lubens se dedat spiritui.

PVNCTVM II.

AIT illis a Pilatus: *Habetis custodiam, a Matth. 27.*
ite, custodite sicut scitis. Illi autem ab- 65.
eunt, munierunt sepulchrū, signantes lapidem, cum custodibus. Hic apparet anxietas execrandæ suspicionis horum Phariseorum, qui nec militibus crediderunt, suspicantes & veriti ne discipuli Christi eos prensarent, vt coniuerent, & permitterent auferri corpus: & ideo sigillo proprio lapidem sepulchri obfignarunt: sed melius multò Pater æternus illud obfignauerat sigillo suæ omnipotentiae, adhibens millia Angelorum, qui corpus filij sui custodirent. O Saluator mi, qui sicut alter

IV. Part. Medit. pp b Daniel,

b Daniel. 6.
17.

b Daniel, per inuidiam, fuisti à tuis inimicis in lacum leonum missus, quem Rex Darius obsignauit annulo suo, ne quid fieret contra eum, securus es in isto lacu sepulchri, quia nec leones, qui sunt vermes, tangere audebunt corpus tuum; nec hostes externi ei nocere. Libera me Domine, tam ab hostibus domesticis, quæ sunt passiones meæ, ne dentibus suis me dilanient; quàm ab externis, qui sunt dæmones & eorum ministri, ne mihi tentationibus & calumniis suis noceant.

Cant. 8. 6.

EX hoc filiorum huius mundi exemplo, documentum accipiam, vt æquè ego sim diligens, atq; sunt illi in rebus suis: in custodienda anima mea, postquam habitatio fuerit & sepulchrum Christi in sacra communione, studendo obsignare, & seruare illà, ne Christum & spiritum deuotionis mihi aliquis auferat: sed quodnam sigillum securius, quam efficacior custodiam adhibere possum, quàm ipsum Christum? O dilecte mi, qui dixisti: *pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum: quia fortis est vt mors dilectio, & dura sicut infernus, & sepulchrum, & zelus, oro supplex, vt obsignes cor meum, & sensus ac facultates meas, sigillo tue charitatis, & imitationis eximiarum tuarum virtutum: vt hoc sigillo obsignatus & custoditus, te frui liceat in æternum.*

Amen.

PUNCTVM III.

MANSIT corpus Christi Domini nostri in sepulchro tribus diebus, & tribus noctibus, accepta parte pro toto: *I. D. Thom. 3. p. q. 51. a. 1.*
 ut sint noctes duæ & dies vnus, quo significatur quod per mortem & sepulturam Christi Domini nostri, à duplici morte, animæ scilicet & corporis, culpæ, & æternæ pœnæ liberati simus: quæ significantur duabus noctibus; & reparantur vna vita, per diem vnum significata, qui est vita gratiæ & charitatis. Toto hoc tempore, conseruatum est Christi corpus integrum & incorruptum, nulla eius parte resoluta in puluerem, aut in aliquid aliud, vt prædictum erat per Dauid, cum dixit; *Psal. 15. 10. non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* *Act. 2. 32.*
 Nam etsi sponte subiecerit se miseriis hominis, & pœnæ mortis, quam ille incurrit ob culpam: noluit tamen subiicere se pœnæ corruptionis, & conuersionis in puluerem, ne, vel ad breuissimum tempus, naturam relinqueret, quam sibi semel in vnitæ personæ vniuerat. Si enim corpus dissolueretur, etiam hæc vaio fuisset soluta: quod non permisit eius bonitas & charitas: quia nunquam voluit dimittere, quod semel assumpserat. O amantissime Redemptor, gratias tibi, quod nos à duplici morte liberaueris, à culpa & pœnæ æterna: obtinueris verò vitam gratiæ, quæ initium est vitæ æternæ. Applica mihi, Domine,

passionis tuæ fructum, eripiens me ab utraq;
 hac morte, & concedens mihi utramq; vitam,
 quæ in te vna tantum sunt. Gaudeo, Saluator
 mi, quod tuum corpus semper fuerit incor-
 ruptum, nec defecerit vnquam vnio diuinæ
 tuæ personæ cum illo, quapropter supplex o-
 ro, vt me à corruptione peccati conserues, &
 tecum vnias vnitione perfectæ charitatis, in
 qua perseuerem vsque ad vitam æternam,
 Amen.

DESCENSVM animæ Christi ad Lybbum
 ponemus in quinta parte, quæ sequitur: quia
 pertinet ad gloriosos Christi Domini nostri
 triumphos, quos Passionis suæ meritis est con-
 secutus, propter quam fuit glorificatus, &
 honoratus ab hominibus & Angelis,
 cum Patre & Spiritu sancto
 per infinita sæcula,
 Amen.

FINIS QVARTAE PARTIS.

Liber Collegij Soc. Iew Paderborn.

COLONIAE

Excudebat Stephanus Hemmerden, Sum-
 ptibus Ioannis Kinckj.

ANNO M. DC. XIII.